



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

De vestimentis ac cæremonijs Missæ. tit. 108

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Secundò, non est testamentum Missa, iuxta som-
nium Luteri, quasi sacramentum hoc sit hic dere-
lictum tanquam testamentum Christi, vt quicumque
manducauerit, sit hæres regni, accipiat remissio-
nem peccatorum, &cæt. sed Missa est potius testa-
menti, Euangelij Christi, & omnium actionum Chri-
sti pro nostra salute ratificatiuum, sicut sanguis ani-
malium fuit testamenti veteris ratificatiuus. Exod.

24.
Tertiò, nec promissio remissionis peccatorum
est Missa. Non enim ob manducationem & potatio-
nem est promissa remissio, sed ob traditionem cor-
poris, & sanguinis effusionem est promissa salus
credenti, Romanor. 4. Missa est memoria solùm
Christi passionis, & instituta ad memoriam, Luc. 22.
non ad remissionem peccatorum. Ergo non est sola
promissio. Hæc opinio, docens per potationem &
manducationem eucharistiæ accipere remissionem
peccatorum, est contra intentionem Christi, qui di-
cit solùm esse memoriam &c. sed carnales multum
diligunt hanc opinionem.

Quartò, Missa est bonum opus. Nam obedire De-
o, est bonum opus. At Christus præcipit Luc. 22. Hoc
facite. At dices: Nos solum recipimus, & nihil da-
mus &cæt. Ergo, Respondeo, Quid habes quod non
accepisti? 1. Corin. 4. & nonne fides est opus bonum?
maximè Philipp. 1. Cõfidès hoc ipsum, quia qui cœ-
pit in vobis opus bonū, &cæt. Et 1. Paralip. 29. Tua
sunt Domine &cæt. Nunquid non elemosyna, &
oratio sunt opera bona? sed etiam illa accepimus. At
tamen nos ea facere iubemur, & faciendo, opus bo-
num facimus, Hæc est fides catholica.

DE VESTIMENTIS AC

ceremonijs Missæ,

TITVLVS CVIII.

Primò



Rimò, inquit Apostolus 1. Cor. 14. Omnia honestè & secundum ordinem fiat in vobis. Et Psal. 146. Deo nostro secundum decoraq; laudatio. Quando igitur summū atq; supremum opus peridem & prædicationem verbi Dei sit officium Missæ, ideò S. patres officiosi fuerunt, vt hoc cum deuotione & omni solennitate fieret, & quatenus maxime simplices, verbo, gestu, vestitu, accenderentur deuotione ad meditantam passionem Christi: sed qui facram rem adesse non credunt, mirum non est, si caeremonias atq; vestimenta contemnunt.

Secundò, caeremoniæ non sunt Missa, nec Sacramentum, aut virtus & gratia Sacramenti, sed sunt signa, quæ denotant aliud opus, videlicet, hoc quod nos præcipuè auemus, sentimus, honoramus & laudamus. Sic signaculum crucis in Missa, ostendit nobis memoriam crucis, in qua Christus passus est: cingulum, manipulus & stola significat funes, quibus Christus fuit ligatus in horto, ad columnam in flagellatione: alba, vestimentum album Herodis, in quo fuit derisus. Casula, purpuream tunicam, qua fuit indutus post flagellationem, & in coronatione. Illa omnia non sunt Missa, aut consecratio corporis & sanguinis Christi, sed sunt maiestas & ornamenta Missæ, sicut etiam alia Sacramenta sua habent solennia ad maiestatem Sacramenti, sed Sacramentum ipsum non sunt.

Tertiò, quid si omnia illa derident & contemnunt hæretici? nunquid ideò mala & prætermittenda? Absit: derisit Michol vxor Davidis saltantem Davidem ante arcam: sed nunquid ideò abstinuit? Punxit ergo mulier sterilitate, 2. Regum 6. Derisit puer Cham nuditatem patris Noë, & maledicitur à patre, & seruus fratrum constituitur. Gen. 6. Sic fiunt omnes illi derisores caeremoniarum, steriles deuotione.

nc mca.

amentis ad omnia Sacramenta, quæ vel nõ credunt
aut cum errore credunt. Princeps militia Regis Sy-
ria Naaman, etiam primò despexit Baptismum, id
est, aquam Iordanis, sed correptus obediuit, 4. Reg.
5. Sic fides nostra, & fides crucis Christi, Iudæis est
scandalum, gentibus stultitia, 1. Corinth. 1. At nun-
quid id eò abnegabimus fidem? Sunt igitur Sacramē-
ta vnà cum cæremonijs media, per quæ promeritam
gratiam applicamus, & Deus etiam non sine præ-
mio relinquet huiusmodi labores & honores ad glo-
riam nominis sui factos &c.

Quartò, reuixit Vvicleff cum signo Sacramenti, &
Berengarius cum suo pane & vino manente in Sacra-
mento. & Vvaldo, qui omnes sacerdotales vestes, alta-
rium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patinas,
vasaq; huiusmodi reiecit, & dixit, Nihil habere mo-
menti. Sic iam Zvingliani, Luterani, Adiaphoristæ,
Illyricani, facti sunt canes redeuntes ad vomitum an-
tiquorum hæreticorum, 2. Petr. 2. sed curandi non
sunt, qui de Ecclesia non sunt.

*MISSA NON EST POE-
nale sacrificium.*

TITVLVS CIX.

Scriptura primò notat, quomodo salua-
tor noster Christus suum sanctum corp⁹
& sanguinem duobus modis in sacrifi-
cium dederit. Primò, pœnali, sanguino-
lento & mortifero modo semel in cru-
ce, pro peccatis totius mundi, & salute omnium fide-
lium, de illo. Hebr. 9. dicitur, Semel introiuit in san-
ctua, & aeternam reperit redemptionem. Collos. 2. de-
cens chirographum decreti, id est, accusationem le-
gis, & affixit illud cruci, Esa. 53. Oblatus est, quoniam
sic voluit pater, & 1. Ioan. 2. Ipse est propiciatio pro
peccatis nostris & totius mundi.

T t

Secun-